INSTAT
NATALIS
GYMNASII
ELBINGENSIS

SVPRA

CENTESIMVM QVINQVAGESIMVS
SEXTVS

D. XXVII. NOV. MDCCLV

RELIGIOSA QVADAM SOLEMNITATE

ET

LAVDABILI MAIORVM MORE

H. L. Q. C.

CELEBRANDVS

AD QVEM
HONORIFICA SVA PRAESENTIA
BENEVOLE LVBENTERQVE CONDECORANDVM
PERILLVSTREM
MAGNIFICOS MAXIMEQVE STRENVOS
GENEROSOS ET AMPLISSIMOS

DOMINOS
BVRGGRABIVM REGIVM
PRAESIDEM
PRAECONS. COSS.

PATRIAE PATRES
SVBMISSA MENTE COLENDISSIMOS
NEC NON
EXPERIENTISSIMOS PLVR. REVERENDOS CLARISSIMOS
PRAENOBILES NOBILES SPECTABILES
HVMANISSIMOSQVE
O. O.

MVSARVM FAVTORES

EA QVA PAR EST PIETATE OBSERVANTIA
ATQVE CVLTV
INVITAT

IOANNES LANGIVS
GYMN. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE, TYPIS NOHRMANNIANIS.

Redeo a N. T. polygl. quod ſumma ELIAE HVTTERI prodiit cura, ad ipſa, quae in Publ. Gymn. Bibliotheca exſtant,

BIBLIA HEBRAICA HVTTERIANA,

quae *primam Bibliorum quadrilinguium partem* conſtituunt, & ſingulari plane ac nitidiſſima characterum forma, ut in rubro legimus, A. 1587 per IOANNEM SAXONEM *in fol. Hamburgi* typis excuſa ſunt. Quanquam & in effigie addita, codex noſter A. 1596 Hamb. primum editus dicitur: imo in eodem adhuc T. opus hoc quadripartitum etiam *in Bibliopolio Froberiano* A. 1603 prodiiſſe ſcribitur. Qua annorum diverſitate eo facile adducor, ut ſententiae BOERNERI calculum adjiciam, affirmantis, e) hanc de A. 1603 (quamvis illam *ex Bibliopolio Commeliano* prodiiſſe ſcribat,) aeque ſuppoſitam eſſe editionem, ac illam, A. 1596 in lucem emiſſam: niſi praeſtaret cum aliis f) contendere, haec ELIAE HVTTERI Biblia Hebraica de A. 1587 primam conſtituere partem Bibliorum polyglottorum DAV. WOLDERI, quae A. 1596 Hamb. prodierunt. Qua in re diverſitas forſan calculi & natalium hujus editionis latere videtur. Horum Bibliorum editionem debemus M. ELIAE HVTTERO, Germano, tanta ſcientiarum & dexteritatis laude incluto, ut Profeſſor Lipſienſis A. 1579 in Aulam Dresdenſem vocaretur, quo AVGVSTVM, Electorem Saxoniae, linguam Hebraeam doceret, & quidem beneficio compendiario Cubi & Quadrati, cujus ſchema una cum ſpecimine harmoniae Graecae & Latinae linguarum, ut & operis polyglotti ad Pſalm. XVII, quod ex 31 conſtat linguis, in prima, quae auctoris eſt, exhibetur praefatione. Codex hic Hebraeus g) in uſum ſenum, quos oculi nonnunquam fallunt, elegantes, novos & majuſculos habet characteres: quo

e) in *Bibl. ſacra*. p. 27.

f) in der hiſtor. critiſchen Nachricht von der anſehnl. Bibelſammlung zu Braunſchweig. P. I. p. 28. & 33.

g) de quo vid. CARPZOVII *Critic. ſacr.* P. I. c. 9. p. 406 &c. & VOGTII *Catal. libr. rariorum.* p. 93.

vero & adoleſcentes, parum adhuc exercitati, habeant, quod illorum ſtudium facilitare poſſit, literae pari ratione, ordine ac figura ſcriptae reperiuntur, ut illas in N. T. polygl. ſcriptas fuiſſe indicavimus, ne ſanctae linguae ſtudioſi Grammaticis diu inhaereant praeceptis, ſed cum prima lectione textum Biblicum & res ipſas ſine ambagibus aggredi poſſint. Hunc Bibl. quadrip. T. Imum, h. e. Biblia Hebraica Viro plur. Reverendo Doctisſimoque Dno. IOANNI CHRISTOPH. DOBLIN, Eccleſiae Hermsdorfſienſis in Comitatu Donavienſi Paſtori fideliſſimo, qui ea A. 1737 benevole donavit, accepta referimus.

Ad rariſſimas S. Codicis editiones, jam ante LVTHERVM natum publici juris factas pertinent, quae porro exſtant

BIBLIA LATINA VVLGATA

Venetiis opera atque impenſa NICOLAI IENSON

in fol. A. 1479, ut in calce Apocalypſeos legitur, ita impreſſa, ut quaelibet pagina binis columnis, & columna quaelibet 51 conſtet lineis. Editis enim ab eodem Auctore jam A. 1476 Bibliis h), noſtro, eidemque ſecundo SS. codici, *literis Gothicis* edendo i) manum admovit IENSON, inclutus ille poſt FAVSTVM & SCHOIFFERVM artis typographicae Magiſter & felix ALDI PII MANVTII, celeberrimi temporis ſui typothetae, in eadem dux & anteſignanus k). Sunt, quae in his Bibliis ſicco praeterire pede non licet. Prima cujusvis libri aut capitis litera eſt minor, & quidem figura Romana: altera vero major, ſed Gothica, quarum illa in medio majoris literae colore viridi nonnunquam, plerumque autem rubro vel coeruleo adſcriptae, incluſa legitur. Pſalmi Davidis, quorum numerus in ſummam CLXXI excurrit, inſcribuntur liber Pſalmiſta: & Apoſtolorum acta, quae h. l. actus vocantur, epiſto-

h) de quibus vid. THEOPH. SINCERI Nachrichten von lauter alten und raren Büchern. 2. St. p. 60.

i) de quo conf. KNOCHII hiſt. crit. Nachricht von der Braunſchw. Bibelſamml. 9. St. p. 773.

k) teſte OPITZIO *in incunab. typograph.* p. 19.

epiſtolam ad Hebraeos demum ſequuntur. Simplex e loco ae & oe ubivis occurrit & tot, tamque inſolitae leguntur abbreviationes, ut in nonnullis locis vitii typographici haec facile ſuſpecta reddi poſſit editio. Quo vero ipſa ſcribendi ratio pateat, unico ſaltem exemplo illam juvabit ob oculos ponere, deſumpto ex 1. Ioa. V, 7. ubi Apoſtoli verba ſic ſe habent: *Qm̄ tres ſūt qui teſtimoniuꝫ dāt ī celo: pꝫ v'bū ꝫ ſp̄s ſc̄s: ꝫ hi tres unū ſūt. Et tres ſūt qui teſtīoniū dant ī terra: Sp̄s aq̄ ꝫ ſāguis: ꝫ tres unū ſūt.* Neſcio, utrum adjiciam, in Bibliorum calce Apocalypſi Ioannis additas eſſe interpretationes Hebraicorum nominum ſecundum ordinem Alphabeti, in S. S. paſſim occurrentium. Cui denique indici coronidem imponit, ut legitur, *Regiſtrum biblie.* Primum felicemque horum Bibliorum poſſeſſorem, ſive ille ſit SIMON LOISSIVS, ut additum ſuadet nomen, ſive etiam ante hunc alius, ut ex diverſitate ſcripturae, in marginibus additae, divinare datur, diligenti quondam ſtudio, ſummaque pietate in ſcripturis ſcrutatum fuiſſe, credere licet. Lineola enim praeſtantiſſimas in epiſtola HIERONYMI, S. S. praemiſſa, notavit ſententias, e. g. hoc tantum ſcio, quod neſcio: avaro deeſt tam, quod habet, quam quod non habet: victus & amictus divitiae Chriſtianorum ſunt: facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat moriturum. Ad marginem Bibliorum obſervationes addidit varias, imo in textu ipſo quaedam proſequutus eſt lima. Sic e. g. Gen. III, 15. ubi: ipſa conteret caput, expreſſum eſt, pronomine ipſa deleto, loco ejus ipſum ſuperne ſcripſit.

Adhaec ante LVTHERVM natum prodierunt ſequentia, quae itidem in Bibl. Gymn. exſtant, eademque rariſſima

BIBLIA LATINA VVLGATA
cum Poſtillis NICOLAI de LYRA Gothice 1481.
in fol. min. emiſſa.

Dolendum eſt, quod de hoc perpulchro antiquitatis opere Volumen ſaltem Imum, a Gen. ad Paralip. usque excurrens, in Bibl. Publ. exſtet. Quantum vero ex diligenti cum aliis collatione conjecturare licet, videtur idem eſſe codex, qui a Cel. KNOCHIO l) recenſetur & impenſa curaque ſingulari IO. de COLONIA, NICOLAI IENSON, ſociorumque *III Vol. 1481 Venetiis* editus eſſe dicitur. Quod ad noſtrum attinet Volumen, illud ex nitidiſſima charta & elegantiſſimis conſtat Gothorum literis, quarum majores textum biblicum: minores autem LYRANI poſtillas, BVRGENSIS additiones, DORINGII replicas, &, quae ſunt reliqua, quaternis exprimunt columnis. Magnae autem, quae in principio Prologorum adſcriptae ſunt, optimis coloribus, multoque auro diſtinctae, & variis figuris ornatae apparent literae. Ab initio ſtatim legitur (ut ipſa ſcripturae, quae h. l. eſt, utar ratione) *prologus in Bibliam*, qui ſic incipit: *Prologꝰ primꝰ Venerabilꝰ fratris Nicolai de lyra ordinis ſeraphyci Franciſci: in teſtamentū vetus de cōmēdatione ſacre ſcripture in generali.* Figurae e. g. archae Noachicae, tabernaculi Moſaici, ejusdemque partium, ut & vaſorum, cultui ſacro deſtinatorum, ligno inciſae, magna ex parte duplici ratione, ex mente ſc. Doctorum Catholicorum, ut Exod. XXV, dicuntur, & Hebraeorum inſertae ſunt. Secundum hos e. g. Cherubimi l. c. ex utraque parte propitiatorii ſuperne ſtantes, verſis vultibus & manibus complicatis ſe reſpiciunt: ſecundum illos vero ad utrumque archae latus non ſolum in terra ſtant, ſed ad deſignandum etiam angelorum circa thronum DEI aſſiſtentiam, propitiatorium inſimul ſuſtentant. Mare aeneum 3. Reg. VII, ſecundum D. Latinos rotundum & in ſuperiori parte latius: ſecundum Iudaeos vero in ſuperiori parte itidem quidem eſt rotundum,

l) in der hiſt. crit. Nachricht der Braunſchw. Bibelſamml. 10. St. p. CXXXVI. p. 787.

tundum, aſt in inferiori quadratum, cujus quodlibet latus ternis ſuſtentatum bobus, aliquam reſpicit coeli regionem. In figura ſummi Sacerdotis, veſtibus ſuis induti, Exod. XXVIII, oculos maxime incurrit lamina illa aurea, pendens in fronte ipſius, in qua nomen Domini tetragrammatum יהוה inſcriptum legitur, ea tamen inſolita ratione, ut illa ad modum lunae corniculatae, cornua ſuperius & convexum inferius habentis, facta ſit. Exhibetur etiam Exod. XXXII, duplex tabularum decalogi figura ſecundum Hebraeos aeque ac ſecundum Doctores, Auguſtini veſtigia prementes, ex quibus hi in I. tab. tria, & in poſteriori ſeptem: illi vero in I. tab. quinque, & in ſecunda itidem quinque ponunt praecepta. Hunc codicem Vir pl. Reverendus Doctiſſimusque IACOBVS KLEIN, Elbingenſis & p. t. Miniſter verbi divini Fideliſſimus, ad Indos orientales Protectore Daniae Rege miſſus, Bibliothecae A. 1737 in teſſeram grati animi dono dedit, quo, hactenus alumnus Gymnaſii patrii, Fridericianam, quae Halae floret, petiturus Academiam, memoriam ſui commendare voluit.

His omni jure annumeramus Latina, quae ſub ſequenti titulo in Bibliotheca Gymnaſii exſtant:

BIBLIA SACRA

utriusque Teſtamenti diligenter recognita & emendata non paucis locis, quae correpta erant, collatione Hebraicorum voluminum reſtitutis &c.

Editorem codicis hujus admodum rari, qui, ut ex calce patet, *Norimbergae* per *FOEDERICVM PEYPVM* ſumptu integerrimi Viri, *IOA. KOBERGERI*, Norimbergenſis *A. 1523*, & quidem *typis Gothicis in fol.* prodiit, promiſſis ſtetiſſe, ideoque haec Biblia inter editiones Vulgatae vix ac ne vix quidem locum habere, illi facile animadvertent, qui eadem oculo ſaltem fugitivo percurrunt. Sic enim e. g. Gen. III, 15. ubi Vulgata vocabulum

 ipſa

ipſa habet, hic codex legit ipſum, & quae in illa Gen. III, 8. 15. VI, 6. VIII, 7. ut ſuperflua addita ſunt, in noſtro bona fide in margine indicantur tanquam ſuppoſita, quae in Hebraeo textu minime deprehenduntur. In fronte ipſius codicis HIERONYMVS, genua flectens, precesque ad DEVM fundens apparet. Ad haec Pſalmi ſaltem CL numerantur & Acta Apoſt. ſuum poſt Ev. Ioa. occupant locum. Prior cujusvis capitis litera jam typis expreſſa eſt ornatis, & quanquam non commata, puncta tamen & ſemicola hic codex jamjam habet impreſſa. Imo loco ae vel oe non ſimplex e, ut in priori codice, ſed diſtinctionis gratia hoc modo ę ſcriptum legitur. Tandem annotaſſe juvat, N. T. Canonis Euſebiani praemiſſas eſſe tabulas, quarum ad marginem 4 Evang. additis locis parallelis, mentio injicitur. Interim nec deſunt & in hoc codice vitia, ex incuria typothetarum ſurrepta. Sic enim e. g. Malachias Propheta c. I, Machias dicitur Propheta. Sequuntur

BIBLIA
SACRO SANCTA TESTAMENTI V. ET N.
e ſacra Hebraeorum lingua Graecorumque fontibus, conſultis ſimul orthodoxis interpretibus religioſiſſime translata in ſermonem latinum, excuſa in fol. maj. per CHRISTOPH. FROSCHOVERVM, Tiguri 1543.

Codex hic Tigurinus, quem primo ſtatim obtutu chartae nitor, typorum ſplendor, ſtylique perſpicuitas & elegantia commendant, varios habuit auctores, ſacrarum literarum morumque proborum laude inclutos. LEO enim IVDAE inter Tigurinae Eccleſiae paſtores & miniſtros non ultimus, primum operi huic admovit manus. Quo mortuo ea, quae in libris Canonicis ex textu Hebraeo reſtabant, D. THEOD. BIBLIANDER: D. PETRVS CHOLINVS vero Eccleſiaſticos ex Graeco in Latinum converterunt. Qui laudatus CHOLINVS etiam, ut & D. RVDOLPHVS GVALTHERVS N. T. translationem in ſemet ſuſceperunt, ERASMI ROTERODAMI verſionem nonnunquam ſequuti.

quuti. Quae omnia, antequam prelo ſubmittebantur, a D. CONRADO PELICANO quam diligentiſſime recognita & perlonga praefatione, omni pietatis affectu ac eruditionis cumulo repleta, in lucem ſunt edita. RICHARDVS SIMON, ut auctor eſt BOERNERVS, m) ſcribit inter alia, n) LEONEM IVDAE editionem hanc auribus Latinis admodum commodaſſe, & ne ob brevitatem obſcurus fieret, paraphraſtem interdum potius, quam interpretem ſe oſtendiſſe. Capitibus quidem librorum variae in marginibus annotationes, nulli vero verſus nullaque argumenta ſunt appoſita: quae tamen ſingulorum capitum ex calamo D. RVD. GVALTERI carmine comprehenſa & in uſum ſtudioſorum in fine univerſi operis ſunt addita. Locus ille palmarius 1. Ioa. V, 7. in ipſo horum Bibliorum textu non legitur, quanquam in margine ex editione Hiſpanica appoſitus apparet. Haec Biblia Tigurina ab HENRICO, STEPH LOISSII, Syndici olim bene de urbe Elbingenſi meriti filio, cum inſigni & praeſtantiſſimo multorum librorum apparatu A. 1653 Bibliothecae ſunt donata.

Nec ſicco praetereunda ſunt pede

BIBLIA LATINA
ex officina ROBERTI STEPHANI typographi Regii Lutetiis, in fol. 1546 edita

& variis lectionibus juxta editionem de anno 1540, charactere tamen minori, evulgata. Huic S. Codicis exemplari acceſſerunt praeter indicem rerum & ſententiarum, quae in iis continentur, Hebraea, Chaldaea, Graeca & Latina nomina virorum, mulierum, populorum, idolorum, urbium, fluviorum, montium, coeterorumque locorum, quae in ipſis Bibliis leguntur, reſtituta cum latina interpretatione & ipſorum locorum ex Coſmographis deſcriptione. Ad haec apparent in illis tabernaculi Moſaici & templi Salomonis ſchemata, praeeunte FRANC. VATABLO, Hebraicarum literarum

m) *in Bibl. ſacra P. I. p.* 691.
n) *in diſſ. crit. de var. Bibl. edit. p.* 189.

terarum Prof. Regio, ſumma arte & fide expreſſa. Sicut in ipſo rubro frugifera ROB. STEPHANI apparet oliva: ita reliquas inter imagines, illa Cherubimorum in arca foederis genua flectentium & operimentum ejus manibus allevantium figura, Exod. XXV, nec non in ornatu ſummi Sacerdotis c. XXIX, tiarae lamina, inſcriptione קדש ליהוה ornata, lectoribus ſe commendant. Quae vero omnium Bibliorum, opera ROB. STEPHANI ad annum usque 1546 Pariſiis excuſorum fuerunt fata, ut nota ſc. Theologorum Sorbonnicorum cenſoria ſint diſtincta: eadem & editioni noſtrae contigerunt, quanquam illis reſponſionem nimis acerbam, Latinis & Gallicis literis ſcriptam, A. 1552 ipſe oppoſuit ROB. STEPHANVS. Quae ſequenti tempore a STEPHANO, doctrinam CALVINI publice profeſſo, Genevae in lucem emiſſa ſunt Biblia: maxime vero illa, A. 1557 in fol. 2 Tom. excuſa, inter rariores libros haud ultimum ſibi vindicant locum. o) Quod ad illum attinet codicem, cujus h. l. mentionem facimus, is in charta auguſta excuſus, corio rubro coopertus & ex utraque parte deauratis literis majusculis S. M. notatus eſt, quibus inclutum SAM. MEIENREISII, qui ſelecto librorum apparatu relicto, praecocis eruditi exemplum A. 1604 diem obiit ſupremum, latet nomen. Praeterea fibulas hic codex habet argenteas, in quarum una literae majores E. R. inſculptae leguntur. Quid vero illae ſignificent, indicat ipſe ANDREAS, SAMVELIS MEIENREISII frater, qui communi noſtrae Bibliothecae hunc codicem Cal. Ian. 1617 conſecravit, ſequentibus verbis in fronte additis: "librum hunc Scripturae "Sacrae donavit mihi compater & amicus meus IOANNES LAMBERT, "qui eum ex Bibliotheca Clariſſimi illius Philoſophi D. IOANNIS "DEE acceperat; ille vero ex Bibliotheca Sereniſſimi Angliae Re"gis EDVARDI Sexti, cujus nomen in clauſura ſuperiori E. "R. indigitant. Actum in vigilia S. Ioannis Baptiſtae A. 1616."

Con-

---

o) vid. SINCERI Nachrichten von raren Büchern, 2 St. p. 68. VOGTII *catal. libr. rar. p.* 122. SCHELHORNII *amoenit. lit. T. III. p.* 28.

CONSPECTVS DICENDORVM
DE
HISTORIA IVDAEORVM ET ALIARVM GENTIVM PARALLELA.

PROLOGVS,
IO. GOD. HENNING Auditorum captat benevolentiam.



GOD. KAWERAV *de parallelismi historici indole & utilitate verba facit.*

Sect. I.

Historiam Iudaeorum & Graecorum parallelam
exponunt

Jo. Jac. Lange, Jac. Convent, Christ. Gottfr. Silber,
Mich. Ernst Fromm, Jo. Ferd. Jungschultz, Jac. Heinr. Burchard,
Daniel Geitner, Jo. Ignat. Glinski.



Ioannes Miritz,
Nath. Frid. Fromm, Christ. Dan. Schwarck.

Sect. II.

De historia Iudaeorum & Romanorum parallela
sermonem habent, & quidem

1. *Quoad res gestas*

Jo. Jac. Mindler, Salomo Jäger, Johann Moeller,
Fridr. Ant. Endersch, Alex. Herm. Kiedt, Samuel Seelius,
Jo. Gottl. Grüttner, Dan. Gottfr. Wilner.

2. *Quoad personas*

Jo. Nic. von Eitzen, Geo. Gottl. Kriesz, Jo. Jac. Roszkampf,
Jo. Sam. Werner, Jo. Sam. Moeller, Jo. Heinr. Ammelung,
Dan. Gottl. Achenwall, Carl Heinr. Bährholtz, Friedr. Ernst Horn,
Alex. Jac. Kiedt, George Leuchert, Joh. Ernst Seelius,
Johann Friedrich Endersch.



Io. Bened. Lange, Sam. Gottl. Laurentz,
Sam. Godofr. Maas. Ephraim Koenig.

Historiam Iudaeorum & Germanorum parallelam detegunt

1.) *In statu politico*

Christ. Dan. Tilly,
Jo. Christ. Roßkampf,
Geo. Lebrecht Laud,
Wilhelm Meyer,
Jo. Sigism. Schütte,
David Ziegler,
Dan. Abrah. Bährholtz,
Friedr. Traug. Lange,
Christ. Ludw. Burchard.



IO. GEO HOFFMANN,
ISRAEL POSELGER,
ANDREAS QVEDNAV,
GEORGIVS GRÜBNAV.
nonnulla ad statum Germanorum politicum pertinentia ex antiquitate proferunt.

2.) *In re militari*

Jo. Heinr. Jungschultz,
Christ. Thom. Fromm,
Jo. Jac. Baum,
Dan. Mich. Unger,
Dan. Christ. Werner,
Gottfried Meckelburg,
Jo. Sam. Groß,
Andr. Alex. Tolckemit,
Ephraim Geitner.

IO. SCHMIDT de religione castrensi apud Germanos veteres dicit.

3.) *In coetu ecclesiastico*

Ephraim Teschner,
Christian Torborg,
Joh. Mich. Roßkampf,
Jo. Christoph Lange,
Jo. Frederich,
Jo. Samuel Kienast,
Jo. Gottl. Brodowski,
Jo. Friedr. Brodowski.



Geo. Sigism. Poelck,
Godofr. Schmidt,
Io. Christ. Haag,
quaedam ex antiqua Germ. historia, historiam recentiorem in nonnullis illustrantia, recitant.

4.) *In societate familiari & domestica*

Gottfr. Gutke,
Israel Peterson,
Jo. Frieder. Müller,
Carl Fried. Ramsey,
Jo. Jac. Kienast,
Samuel Leuchert,
Reinhold Boßelmann,
Jac. Gottlieb ~~Ramsey~~, Silber
Phil. Jac. Neumann,
Carl Christian Lange,
Christian Kuhr,
Dav. Lebr. Vorloff.



GEORG. HENR. NESSELMANN morem Germanorum antiquum circa mortuos verbis prosequitur.

EPILOGVS,

GEORGIVS PFLVGRADT festivitati huic cultu debito coronidem imponit.

P. P. Elbingae D. XXVI. Nov. MDCCLV.